

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Jonstoni Historia Naturalis**

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale Omnivm|| Animalivm||  
Qvadrpedvm


**Jonston, Jan**

**Heilbrunna, MDCCLV.**

**VD18 90528808**

Vorwort

**urn:nbn:de:gbv:45:1-10966**



## PRAEFATIO AD LIBRVM

DE

# QVADRV PEDIBVS.

**P**lacet de Quadrupedibus in genere aliquid praefari, Benevole Lector, satisfactorumque me confido, si aliquid de *Nomine, Partibus, Loco, Nutritione, Augmento, Generatione, Vita, Animalibus actionibus, Vsu et Differentiis* praemisero.

Horum vero nomine animalia illa nobis veniunt, quae mediae inter aerea et aquea naturae, pilis ut plurimum, testis quandoque obducuntur et quaternis pedibus incedunt. In reliquis omnibus multiplex et incomprehensa occurrit varietas, quae tibi, si bene perpenderit, stuporem inlicere poterit. Partes mihi primo externas vide. *Pilos* habent, quae animal pariunt, quae ova, testam. Equis sunt in iuba largi, in armis leoni, dasyodi et in buccis intus et in pedibus. Villofissimum animalium lepus. Omnibus fenestrate crassescunt. In solo equo canitiem contrahunt. Setis sues et histrices reguntur, oves lana, caprae aruncum de mento demittunt. *Corium* hippopotamo tam crassum, ut inde torquentur hastae, elephantis etiam et rhinocerotibus fere impenetrabile. *Auriculae* omnibus duntaxat animal generantibus et quidem mobiles. Minores aliis vel maiores. *Cervis* tantum scissae ac velut divisae, foricibus pilosae. In equis et omnium iumentorum genere indicia animi praeserunt, fessis emarcidae, micantes pavidis, subrectae furentibus, resolutae aegris. *Os* magno hiatu cani, leoni et venatu viventibus rescissum, mediocre, suum generi. *Promuscis* soli elephanto. *Maxillae* longae iumentis, rotundae simiis. *Collum* leoni tantum et lupo et hyenae ex singulis ossibus rigens. *Digiti*, quibus ex rapina victus, quini in prioribus pedibus, reliquis quaterni. Leones, lupi, canes et pauca alia in posterioribus quoque quinos ungues habent, uno iuxta cruris articulum dependente, reliqua, quae sunt minora, digitos quinos. *Vngues* omnibus, quibus et digiti. Sed simiae imbricati, rapa-

rapa-

## P R A E F A T I O.

rapacibus unci, caeteris recti, ut canibus, praeter eum, qui a crure plerumque dependet. *Vngulas* solidas habent, quae non sunt cornigera, cornigera fore bifulca sunt. Sues in Illyrico quibusdam locis solidas habere dicuntur. Veterino tantum generi renascuntur. Haud minor *internorum* diversitas. *Dentes* exerti verri, apro, ferrati, cani, leoni, continui, equo, bovi, acuti primores, plani interiores. Altero ordine carent cornigera. Nullis exerti, quibus ferrati. Nulli exerti vel ferrati, cui cornua; sed omnibus concavi, caeteris solidi, simiae, ut homini. Ruminantibus, leoni et cani mutantur. Suibus decidunt nunquam. *Lingua* Crocodilis tota adhaeret, leonibus ac felibus imbricatae est asperitatis ac limae similis, elephanto praecipue lata. *Costae* suibus denae, cornigeris tredecim. *Cor* omnibus in medio pectore est. In equorum boum et cervorum ossa reperiuntur. Maximum proportione, muribus, lepore, asino, cervo, hyaenis et omnibus propter metum maleficis. *Pulmo* testudini sine sanguine, chamaeleoni proportione maximus, et nihil aliud intus. *Venter* solidipedum asper et durus, terrestrium aliis denticulatae asperitatis, aliis cancellatim mordacis. De ruminantium ventribus libro secundo diximus, *lies* rotundus bifulcis et cornigeris, prolixus multifidis, praelongus solidipedibus, minimus pecori in regione Asiae, quae Sceptis dicitur. *Renes* omnia habent, quae animal generant, ova parientium testudo sola. *Vesica* nulli ova gignentium praeter testudinem, nulli, nisi sanguineum pulmonem habenti, nulli pedibus carentium. *Locum* plerisque terram natura designavit, paucis, ut crocodilo, hippopotamo, castori, testudini marinae et aquam. Ex his et illis quaedam latibula habent, quaedam in arboribus degunt. In frigido climate nonnulla, in calido alia invenias. Negata in eodem situ quaedam aliquibus. Frustra et *in visu* uniformitatem quaeris. Herbis et frugibus boves, cervi, equi, sues vescuntur, humiliorem depraedantur oves, altiore, ramos et germina caprae. Carnes lupis, leonibus et canibus in deliciis, pisces libro et feli, muscae chamaeleoni. Ruminant cibum quaedam, quaedam non item. Simiam et cercopithecus inter pamphaga forte recte posueris. Ursus hieme in latebris eo humore, quem ex prioribus pedibus tum intumescitibus exsugit, vivere creditur. De *Generatione* habe, concipere quaedam citra *cotium*, ut post Nili a terris recessum in Aegypto mures. Congredientium pleraque autumno, aestate vel vere coire, cum ferocitate tauros et ursos, sine ea canes. Vivos foetus maximus numerus profert, ova testudines, crocodili, lacertae etc. De *Augmento* hoc dixisse sufficiat, *μονοχέλη* et bifulca, digitatis maiora, rhinocerotem, camelum, hippopotamum etc. si exceperis, differreque in eadem specie propter loca magnitudinem. In regione Camadu arietes asinis non cedunt. Testudines ad Taprobanam tantae, ut CIII. pondopenderint, lacertae in Aethiopia cubitor. octo. *Vita* brevis quibusdam, diuturna aliis. Lepores et feles septimum duntaxat annum attingunt, aries et caper raro decimum. Sus ad vigesimum pervenit, canis ad eundem aliquando, bos decimum sextum vix excedit. Equi mares ad trigesimum quintum vivunt, foeminae quadraginta veneri sufficient, quinquagesimum aliquando attingunt. Ad septuagesimum quintum pervenire apud Plinium legimus. Mulum octoginta annis vixisse ex Atheniensium monumentis adparet, cervos centum, in historia invenies. Ad *Animales actiones sensus externi et interni appetitus et locomotiva* pertinent. Dorcades et lynces *visu* excellunt, hyenae et felles de nocte vident, talpae parum aut nihil. Acute *audiunt* lepores, cameli, cervi et equae Lybicae cantu tibiae oblectantur. *Odoratu* canes valere nemo ignorat, sues adeo sunt debili, ut ne foetore coeni


moveant.


## P R A E F A T I O.

moveantur. Simia nos *gustu* vincit, ut vulgari versiculo traditur. *Internos* si attendamus, insignis sunt amentiae quaedam, ut bubalus, qui capite abdito totum se latere credit, sagacissima quaedam. Simiae nihil non imitantur. Vulpes glaciem transmissurae admota aure eiusdem crassitiem explorant. Canes quamvis longa itinera meminere, nec ulli, praeter hominem memoria maior. Cervi audito canum latratu, secunda fugiunt aura, quo pariter recedat vestigiorum odor. Reliqua in capitibus de equis, capreis, lupis et aliis vide. Maxime vero mirandum, quod tam multae quadrupedes sciant, quae morbis suis medeantur. Panthera sterco humanum quaerit. Testudo cunilae, quam bubulam vocant, passu vires contra serpentes refovet, mustela rutae in murium venatu cum iis dimicatione conferta. Bos in Cypro contra tormina hominum excrementis sibi medetur. In *Appetitu amor et libido* praecipue occurrit. Simiarum erga foetus tantus, ut *magna ex parte complectendo necent*. Sues foeminae libidine turgentibus adeo efferantur, ut hominem lacerent. Tanti furoris et tauri, ut *vacca aenea Syracusis, ab agresti tauro, qui pecore aberrasset, inila sit ac semine aspersa*. Econtra camelus coitum in propatulo refugit. Equum detractio oculorum operimento et cognito cum matre coitu praecepta petiisse atque exanimatum Plinius auctor est. Circa *Locomotivam* veloces quosdam, tardos alios novimus. Nullum animal cursu leporem aequare credidit Xenophon, Horatius vero cum celerrimum cursum dicere vellet, *ociorem cervis* dixit. Alce tantum itineris uno die conficit, quantum equus triduo. Nil de Arabicis asinis dicam, nam vulgares tardissimi sunt, ut et tigres docente nos Bontio. *Vocis* fere obliti fuissimus, cuius tamen insignis in isto animalium genere est varietas. Equus namque hinnit, taurus mugit, asellus uncat, aries blaterat, ovis balat, sus grunit, verres quiritat, cervus onager glocitat, caper circus mutit, aper frendet, leo rugit, tigris raucat, panthera caurit, pardus felit, lupus ululat, barrus barrit, canis latrat, vulpecula gannit, catulus glaucitat, lepus vagit, mus mintrat, mustela dentrit, forex disticat, rana coaxat. Sed ad *usum* deveniamus. Bono enim nostro a Deo condita nemo negaverit. Hinc nobis, *alimonia, medicamenta, vestitus et alia*. *Alimonia*. Lac namque nobis suppeditant pilis praedita, ex quo butyrum et caseus conficitur. Carnes iumenta et quae in desertis vivunt cervi, apri, damae, alce et alia. Nec tantum ad necessitatem provisum est, deliciarum etiam oblivisci noluit natura. Leporis carnem *primam matthyam* Martialis vocat. Caro vero etiam domesticae suis quinquaginta modis ita condiri potest, ut totidem ferinae carnis species videantur. *Medicamenta*. Docuere enim quaedam, nec unum est, quod non aliquod suppeditet. Cunilam et rutam contra venena valere a mustela et testudine accepimus. Venas secandi artem hippopotamus docuit. Ductu cervorum dictamnum sagittas extrahere scimus. De remediis contra morbos historia consulatur. *Vestitus*. Magna pecori gratia in usu vellerum, corporum tutela ipsi debetur. Caspiorum ditissimi vestimenta ex pilis camelorum conficiebant. Ex lanis etiam illa fiunt, quae Caesar *subcoacta*, Helmoldus Presbyter *feltra* et *filtra*. Ex his aut ex centonibus aut ex coriis tunicas aut tegmenta milites faciebant, quibus tela vitarent. Mortua pelles suppeditant. Primae tunicae, quas Deus fecerat, ex istis. Pelle leonis induebatur Hercules. Ex agnibus rhenones Germanorum erant. Perones ex corio conficiebantur, nobiliorum calcei ex aluta. Frisii denique iussu Drusi coria boum in usus militares pendebant. De *aliis usibus* hoc duntaxat dicam. Canes ad custodiam facere. Feles alimenta a muribus defendere. Equum, asinum, mulam, came-

## P R A E F A T I O.


camelum ad vecturam adhiberi. Ex nervis fiunt fides. Camelorum veretro optime arcus intenduntur. Funes, quibus brachia catapultarum continentur, torquentur e nervo. Dentibus aprorum laevigatur charta. Plebeios ministros apud Romanos quidam bovillis cornibus infonantes ad coetus cogebant. *Per cornu stuentia in fauces hominum vina decurrere* dixit Ambrosius. Urorum certe barbari septentrionales potabant. Delii Apollinis ex cornibus ara inter septem orbis miracula recensetur. *Taurino felli praecipua potentia, etiam in aere, pellibusque aureo colore ducendis.* Quid de Fimo dicam, de cuius discrimine ita Plinius: *humanas dapes ad hoc imprimis advocat.* Alii praeserunt hominum potus in coriariorum officinis pilo madefacto. Proxime spurcicias suum laudant, Columella solus damnat. Varro praeceptis adiicit, equino, quod sit levissimum, segetes alendas, prata vero graviore et quod ex hordeo fiat, multasque gignat herbas. Quidam etiam bubulo iumentorum praeserunt, ovillumque caprino, omnibus vero asinum, quoniam lentissime mandant. De Differentiis in infinitum agi posset. Quomodo vero in suos ordines totum Quadrupedum exercitum digessimus historia docebit. Occurrent primo solidipeda, mox bisulca, tam ruminantia, quae vel cornuta vel non, quam non ruminantia, digitata tandem, tam vivipara, quae vel terrestria vel aquatica, quam ovipara, quae vel teguntur testa vel non. Sed nolo in hanc rem plura. Tu, *Benevole Lector*, laborem boni consule et proximis nundinis Historiam piscium, si Deus voluerit, expectabis.





Rein. H. G. C.

Equus



Equus

omnium deterrimi sunt. Causa utriusque, quod illorum pedes in utero materno iuncti fuerint, ob id simul contraxisse maculam. *Vnicolores* Palladius admiffarios legi iubet. *Albi* Claudiano sunt veloces Platoni laudatissimi. *Caesios* habent oculos; quod cum hi triplici ratione distinguantur, nigro, capriano, et caesio, corporis totius colorem, oculi quoque color consequatur. *Nigricantes* laudibus efferuntur, maxime si in fronte, vel asteriscum, vel lineam albicantem, vel denique altro pede, candoris aliquid habeant. *Ἄιδωνας* Homeri quidam interpretantur, id est nigros et quasi igne exustos quales *ἄιδωνας* et *πυριλαμπέας* in aprorum venatione commendat Oppianus. *Spadices*, sunt sanguinei fulgoris, a colore pal-

mei furculi. Alii palmatos vocant, Varro badios, Callius Medicus baliios, nonnulli Castanei coloris, et baliardas. *Caeruleos* Becanus celesres facit, *παράως* equos τὸ χρώμα *πυρρός*, Hesychius et Varinus vocant. *Heterophthalmi* oculos habent, aut non aequae magnos, aut alterum altero humiliorem. Lacuna male monoculos vocat. Parthi eos forte probabant, quod pavidi et fugae aptissimi essent. *Ἀετογενεῖς* a genitiva quadam macula, quam in armis et cocco referunt, Absyrtus dici putat, Sarmatae eos ut probos adfiscunt: illos vero, qui aquilinam notam pone ferunt circa coxas et caudam, (iisdem hi cum superioribus, nam *ἄετός* aquila est) reiciunt, *Ἀλφορύγχοι* denique, tardius *sc-* nescere dicuntur.

## CAPUT II.

## De Asino.

Plin.H.N.  
1.8.c.43.

**E**quum excipit Asinus, despectum quidem, sed non minus utile iumentum. Incredibili sane lucro dominis fuisse memoratur, comperitumque tradunt, fuisse asinam, quae omnium praediorum fertilitatem superarit: siquidem in Celtiberia visum est, singulas asinas quadringentis millibus nummorum fuisse enixas, ut apud Plinium legimus. Non est ergo mirum, a Q. Axio Senatore quadringentis nummis asinum emtum: et Heliogabalum eosdem tanquam magna dona P. R. distribuisse. *Nomen* apud Latinos sortitus est, non ab a et sinos, ut effet quasi sine sensu animal, ut Bartholomaeus Anglicus nugatur: sed a sedendo, ut Isidorus scribit, quasi assedum dicas: vel potius ab Ebraico Ason, quod ipsum asinum significat. Graecis est *ἄνος*, *παρὰ τὴν ὄνησιν*, quod nostra opera iuuet; nisi melius a livido colore ita dicatur, a quo et asello pisci, nomen inditum arbitrantur. Dicitur Cyrenensibus *βρικός* ab improbitate; Aristophani *βέβαλος*, quasi bovis instar stupidus; Nicandro *βραμῆς* ruditor;

et animia vocis absurditate *μεγάμνος*; Eustathio et Suidae *κάνθων*, a clitellis, et *κάνθλιος*; Hesychio *κίλλις*, quomodo et Doree eundem appellant. Aliis *καθύλις*, *λέπαργος*, quod ei ilia albicent; *μένων*, *μονίς* Cyrillo, *μυχλός*, quod tamen vocabulum Phocenses, non nisi τῶ ἐπὶ ὀχλείᾳ πεπεποιημένῳ tribuunt, qui et *κίλλων* vocatur; *ὀκρίβας*, agrestis nempe, *ὀγκυῖς* a ruditu dicitur. *De-* *scriptionem* si spectes, *ures* ipsi proportionem totius longissimae et latae, labia crassa, *caput* magnum, in collo et pedibus nigrae quaedam lineae, quas Hesychius *μύκλας* vel *μύκλας* vocat: In *tergoris* exordio, crucis effigiem gerit, quo etiam loco, quam iuxta renes, onera difficiliter portat, quod ossa sint minus robusta. *Pilus* corporis duriusculus et lanificio ineptus. *Ilia* alba. *Membrum genitale* prae caeteris quadrupedibus grande. Nicander *κάρυνη*, quae proprie est *ράεδος κεφαλατώ*, vocavit. *Dentes* priores mense trigesimo tum mas, tum foemina amittit; secundos sexto: quod si non prius peperere, quam decidant postre-